

## SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo explentes.

## TRIBUS I. MÜLLERIA.

Dorso convexo, ventre planiore, cuti coriacea. Tentaculis 20 peltatis, duplici dispositis serie. Anus dentibus quinque armatus est, qui musculorum longitudinalium insertioni inserviunt.

Besel primus esse videtur, qui has ano dentato paradoxas species in Europam misit an. 1833.

Fleming Holothuriae peruviana Mülleriae nomen dedit, quod tamen cum nemo imitatus sit, mihi hisce novis speciebus hoc nomen tribuere licere censeo.

Sp. 1. *Echinites*. Collect. Schoenl.

Quatuor circiter pollices longa, unam septem vidi pollicum, ventre lato plano, dorso convexo transverse rugoso, extremitatibus rotundatis. Cuti densa coriacea. Dorsum intensius, venter dilutius castaneo-fuscus. In ventre, dorso molliore, ubique ex atris corii perforationibus membranacei, unam et dimidiam ad tres lineas longi prodeunt pedes, quorum capitula opaca disco concavo, cucurbitulae simili, instructa sunt.

Etiam in dorso, sed rariores, inveniuntur pedes. Os anticum, aliquantum solum versus spectans. Tentacula in duplici disposita circulo, viginti, peltata, peltae multifariam incisae, fuscae, cucurbitularum instar inhaerere possunt. Petioli ut ita dicam peltarum albo splendent colore, eorumque basis tenui videtur iuncta membrana. Corii duplicatura, praesertim in

dorso prominens, tentaculorum circumdat circulum. Anus posticus et paululum superus, ita ut in dorsi crassiore et opaciore adhuc situs sit cuti, quinque dentibus pallide fuscis, irregularibus, subscabris instructus. Infimus dens ventris respondet lineae medianae.

Ex insula Celebes.

Unam vidi 6 dentibus instructam; in nonnullis retroversio ventriculi.

Nomen ex dentium analogia cum echinis hausit.

# Figurarum explicatio.

---

## T. I.

- F. 1. *Synapta Beselii*. Magn. nat.
- F. 2. Eiusdem: a) Intestinum. b) Ovaria. c) Annulus cartilagineus. d) Musculi longitudinales. e) Vasa locomotoria.
- F. 3. *Pes eiusdem anchoriformis*. Longit. nat.  $\frac{1}{3}$  lin.
- F. 4. Ovaria eiusdem sub micr.

## T. II.

- F. 1. *Bohadschia argus* pedibus retractis. 1. b. Anus eiusdem stellatus.
- F. 2. *Mülleria lecanora*, pedibus retractis. 2. b. Anus eiusdem dentibus armatus. (Magn. ubique nat.)

## T. III.

- F. 1. *Trepang ananas*. a) Tentacula. (Magn. nat.)
- F. 2. *Holothuriae atrae* a tergo apertae viscerum pars anterior. (Magn. nat.) a) Ventriculus. b) Annulus glandularum hepatis analogus. c) Ductus humoris locomotorii. d) Vesicae locomotoriae. e) Testiculi. f) Ovariorum pars. g) Pulmonis intestinalis ramuli nonnulli. h) Iidem inflati. i) Intestinum.
- F. 3. Musculorum longitudinalium par unum *Mülleriae echinitis*. a) Vas longitudinale locomotorium. b) Dens analis.
- F. 4. *Bohadschiae argi* ovariorum pars. (Magn. nat.)
- F. 5. Eiusdem ovaria sub microsc.
- F. 6. *Mülleriae echinitis* ovaria sub microsc.
- F. 7. *Holothuriae fuscocinereae* testiculus sub microsc.
- F. 8. *Mülleriae lecanorae* pulmo intestinalis sub microsc.
- F. 9. *Bohadschia marmorata* a dorso aperta. a) prima, b) secunda, c) tertia intestini pars. d) Cloaca. e) Pulmo locomotorius. f) Pulmo intestinalis. g) Appendices bronchi renibus fortasse analogae. h) Anus stellatus.
- F. 10. *Bohadschiae marmoratae* appendix bronchialis inflata.

